



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De immunitate Ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

prose quisq; cum venerit vsus cōtra praedictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suōq; inquisitiones omnes sigillo obsignatas, ad praedictam sedem quamprimum transferant, vt nos & praedicti successores in casibus huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit decernamus. Nos enim singulis ordinarijs ipsis praedictos omnes & quoscunque alios etiam exemptos, etiā per edictum publicum, constituto prius Summariē & extra iudicialiter de non tuto, ad alios accessu citandi, monendi, eiq; ac iudicibus Ordinarijs & delegatis, alijsq; personis quibuscunque ne pra-

dictorū executionem quoquo modo impediānt, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eodemq; alios contradictores & rebelles, quosicunque per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia iuris & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachij secularis quandocunque opus erit inuocandi, ceteraq; in praedictis omnibus & singulis necessaria faciendi & exequendi, plenam & liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus, &c. Datum Roma anno Incarnat. Dom. 1569. Kalen. Iun. Pontif. anno 4.

ARTICVLVS VIII. De immunitate Ecclesiastica.

- 1 Immunitas Ecclesiastica in quibus attendenda.
- 2 Ecclesia nondum consecrata an gaudeat immunitate.
- 3 Confugientes rei ad Ecclesiam quomodo tractandi.
- 4 Clerici non tenentur ad onera imposita à Principe seculari.
- 5 Clerici an gaudeant immunitate ratione bonorum Patrimonialium.
- 6 Clericos obtinens feudum eius ratione tenetur ad onera imposita per Dominum feudi.

CAUSAE immunitatis Ecclesiasticę pertinent quoque ad iudicem Ecclesiasticum. *cap. conquestus. de fo. comp.* Immunitas autem Ecclesiastica consistit primo in reddenda debita reuerentia ipsi Ecclesię, vt quod in Ecclesia causę sanguinis & negotia seculari tractari non debent. *cap. cum Ecclesia. de immunit. Eccl. cap. accusatio. 2. q. 7. & sententia à Laico in Ecclesia lata est ipso iure nullus. decret. cit. tit. in 6.*

Ecclesia præterea incastellari non debet, nec muniri vt in ea defensiones,

vel militum receptacula parentur: instante tamen necessitate graui possit hoc concedere Episcopus, dummodo cessante necessitate incastellatio quoque cesset. *Hof. in sum. tit. cit. nu. 6.*

Et non solum Ecclesia consecrata, sed & nondum consecrata in qua tamē Diuina peraguntur, & etiam interdicta gaudet hac immunitate. *c. Eccl. tit. cit. ibiq; DD. communiter.* Similiter & Palatium Episcopi si fuerit ædificatum intra quadraginta passus ab ipsa Ecclesia. *Couar. var. res. lib. 2. cap. 20. num. 5.*

Quo-

Quoad hospitalia autem & oratoria priuata, attendendam esse loci conuentionem docet Abb. in cap. Ecclesie. cit. Couar. lo. cit. num. 4.

Vel proprium autem est immunitatis Ecclesiarū priuilegium, quod ad eas cōfugientes inde extrahi non possunt. cap. inter alia. tit. cit. de immun. Eccl. Circa quod multas & in dies piures nalcntes controuersias, sopiuit Greg. XIII. constitutione sua circa protectionem ad Ecclesias confugientium perpetuo obseruanda, cuius tenor sequitur.

Cum alias nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim fel. re. Sixtus PP. V. & infra. Hac igitur nostra perpetua ualitura constitutione, omnia & quacūque priuilegia, indulta & gratias, tam per prædictum Six. ac Pium V. quam alios quoscūq; nostros prædecessores, aut nosmetipsos, Sedemq; Apostolicam, eiusuē Legatos, super abducendis uel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, domibus Regularibus & Secularibus, locis uē sacris aut religiosis, aliasq; in casibus à iure permisis, hominibus certorum tunc expressorum, uel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis deceptoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis uigentissimis ac necessarijs & equipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate, aut maioriute rationis, extēsis perpetuo uel ad certū nondū elapsū tēpus, seu ad uitam alicuius Principis, aut beneplacitum, seu alias quomodolibet concessa, etiam iteratis aut multiplicatis vicibus approbata & innouata, ac usu recepta, literasq; Apostolicas sub plumbo, aut in forma Breuis, seu alias quomodocūq;

desuper confectas, quarum tenores hic haberi uolumus pro expressis, ac ad uerbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus & moderamur, ut Laicis ad Ecclesias, locaq; sacra & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, uiarumq; grassatores, qui itinera frequentata, uel publicas stratas obsidēt, ac uiatores ex insidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, qui uē homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, eorumuē cœmeterijs committere non verentur, aut qui proditoriē proximum suum occiderint, aut assassini uel heresis, aut lesa maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragatur; sed uniuersis & singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisq; Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatibus, tam secularibus, quam cuiusuis ordinis Regularibus districtè præcipiendo mandamus & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supra dicta sacra seu religiosa respectiue confugientes, & in eis se recipientes atque morantes, qui prædicta delicta eorumuē aliqua iudicio suo commississe uidebuntur, quando à Curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris & Officialibus Curia secularis absque irregularitatis nota, aut alicuius cēsuræ Ecclesiastica incursum, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Ne autem Curia secularis ministri prædicta facultate illos per se & propria autoritate extra-

hendi & abducendi sibi olim uti preferatur attributa, & per presentes reuocata abutantur. Volumus dictaq; auctoritate decernimus & declaramus, ut Curia secularis eiusq; Iudices & Officiales ab Ecclesijs, Monasterijs, locisq; sacris predictis Laicum aliquem, ut profertur delinquentem in vlllo ex casibus supra dictis sine expressa licetia Episcopi vel eius Officialis & interuentu persona Eccles. ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alias Ordinarij sint, aut nullius Diocesis, aut conseruatores ab hac sede specialiter vel generaliter deputati, predictam licentiam dadi facultas pertineat; occurrente autem casu in loco excepto & nullius Diocesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hac cognitio & non ad alios: capere, extrahere aut incarcerare non possint, nisi eo casu quo ipse Episcopus & dicta persona Ecclesiastica requisita, carcerationi interuenire & assistere recusauerint, tuncq; reuerentia Ecclesia & locis sacris debita memores, predictos delinquentes minori quo id fieri poterit cum scandalo & tumultu extrahere curent, quodq; delinquentes Laici predicti postquam ut profertur ab Ecclesijs, locisue sacris extracti & capti fuerint, ad carceres Curia Ecclesiastica reponi & inibi sub tuto & firmo carcere, ac op. tuna custodia, data illis si opus fuerit per Curia seculari, detineri debeant, nec inde extrahi Curiaq; seculari predicta consignari, nec trahi possint, nisi cognito prius per Episcopum seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint; auncq; demum de mandato Episcopi, per

Iudicem Ecclesiasticam Curia seculari quacung; appellatione postposita consignentur. De crimine vero haresis, cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia seculari se quomodo intromittat; sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas seculares, aut cuiusvis ordinis vel militia etiam S. Ioannis Hierosolymitani Regularis quomodo, etiam vigore predictorum priuilegiorum, indultorum, concessionum, qua omnia ad terminos iuris per presentes reducimus, procedat, aut se intromittant, illasue ab Ecclesijs, Monasterijs, domibus, locisq; sacris, aut Religiosis etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de iure & per priuilegia eisdem ordinibus, aut militijs concessa permittitur, quomodolibet presumant. Quod si quis quacunque dignitate & auctoritate praditus, promissorum aut alio quouis prae-textu quidquam praeter aut contra huius nostra constitutionis tenorem attentare presumpserit, declaramus eum ipso facto censuras & poenas easdem incurrere, qua contra libertatis iuris & immunitatis Ecclesiasticae violatores, per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumq; praedecessorum constitutiones sunt promulgata, sicq; per quoscumque Iudices, &c. Non obstantibus, &c. Datum Rom. An. Incarn. Dom. 1591. Kal. Iun.

Immunitas Ecclesiastica seruit quocumque pro ipsismet personis Ecclesiasticis: qua ratione ut supra vidimus, Clericis exempti sunt à iurisdictione Laicorum.

Non

4. Non tenentur etiam ad onera more personalia per Laicos imposita, & personalia onera dicuntur quæ animi prouisione, & corporali labore absoluuntur. *l. fin. ff. de mu. & hon.* Et ne quidem ad ea tenentur, quæ sunt honesta non sordida, vt ad officia sæcularia, legationes, curas, tutelas. *cap. generaliter. 16. q. 1. nisi spõte velint recipere tutelam legitimã. c. peruenit. 86. dist. nec tenentur ire ad bellũ vt pugnēt, etiam instãte necessitate, Abb. in c. peruenit. 1. tit. cit. de imm. Eccl.*

Eodem modo libri sunt ab oneribus realibus, siue qua ratione bonorum per ipsos possessorum præstãda viderentur: neq; tenentur ad tallias, seu collectas Laicorum. *c. non minus. tit. cit. c. 1. eo. tit. in 6.* Imò sæculares magistratus imponentes Clericis huiusmodi collectas, si sint singulares personæ, excommunicationem, si verò sint Collegia vel communitates, interdictum ipso facto incurunt. *c. quanquam. de censib. in 6.* Quomodo autè diuersa sit hæc celsura ab alia simili Bulla Cæne Domini, videri potest Suarez de cens. disp. 23. sect. 4. n. 21.

5. Non tenentur etiã ad gabellas de frumento, vino & alijs fructibus ex fundis seu fructibus præbendarum collectis. *Abb. in cit. c. non minus. Bald. in l. placet. C. de sacros. Eccl. An autè ratione bono-*

rum patrimonialium gaudere debeant hac immunitate, videndus est Abb. in c. ex literis. n. 1. de vit. & hon. Cler. vbi hæc immunitatẽ quoad bona patrimonialia seu propria Clericorum non Ecclesiæ restringit ad casus in iure tantũ expressos. *adhoc Dec. in c. Episcopus. num. 19. de præb. vbi solum patrimonium Clerici ad quod ordinatur vult gaudere ista immunitate.*

Non tenentur itẽ Clerici cõtribuere pro reparatione murorum, seu fortificatione ciuitatis, vel dare albergũ, seu hospitium militibus. *Innoc. in c. 1. tit. cit. de immun. Eccl. Abb. ib. nu. 1. Sicul. ib. & conf. 3. Ausfer. in repet. Cle. 1. de off. ord. not. 3. & non solum ipsi Clerici, sed & ipsorum familiz & coloni gaudent hac immunitate. c. generaliter. 16. q. 1. cit.*

Si tamen Ecclesia vel Clericus obtineret feudum à laico, teneretur ad omnia prædicta & alia omnia onera, quæ ratione illius feudi solerent præstari, & cogi possent per dominum feudi ad eadem onera præstãda. *Innoc. in cap. verum. de fo. comp. Host. loc. sup. cit. nu. 4. & quibus alijs casibus non suffragetur ipsis hæc immunitas Ecclesiastica, videri potest apud Summistas. vt Ang. Sylu. Arm. v. immunitas. Host. loc. cit. Ausfer. de potest. Secul. in Cler. latè.*

ARTICVLVS IX.

De Decimis.

- 1 Decimarum causa spectant ad forum Ecclesiasticum.
- 2 Decimarum causa expedienda summarie.
- 3 In causis decimarum quomodo non appellandum.
- 4 Decimas soluere quilibet obligatur.
- 5 Decima soluenda non deductis expensis.
- 6 Consuetudo attendenda in decimationis modo.
- 7 Decima proprie pertinet ad Parochum.